

tatis devenit. Cum autem hic nobiscum per unam ebdomadam commoratus fuisset, una die post completorium, accepta licentia a domino abbate, ut in crastinum summo mane viam suam pergeret, in eadem nocte tam subita et tam gravi infirmitate occupatus est, quod ante matulinos* necesse habuit duci ad infirmariam. Cunque per singulos dies langwor ingravesceret, se ipso hoc postulante sacro infirmorum oleo perunctus est. In priori autem die, quae obitus illius diem praecessit, videbatur custodientibus eum, quod hora migrationis eius instaret, et auferentes eum de lecto, posuerunt eum in cilicio**. Deinde vocatus dominus*** abbas venit super eum. Inter haec letaniae et orationes dicebantur, et ipse clausis oculis ita iacebat.

Post aliquod vero horae spatium aperiens oculos et respiciens ad dominum abbatem, loquebatur ad eum dicens: „tanta dicta sunt mihi de coelestibus, quanta nunquam cogitavi, neque ante infirmitatem neque in infirmitate. Dominus Urbanus papa et martyr, et sanctus Martinus, et sanctus Benedictus, et sanctus Columbanus, et vester patronus Giselberthus hic fuerunt, et indicatum est mihi, ut vestrum consortium habeam usque in diem iudicii.“ Post haec igitur dominicis sacramentis exitum suum munivit et quinto nonas Julii [3. Julii] felici transitu de hac vita migravit.

45. Tunc dominus abbas generale veniens in capitulum superius narrata retulit ad conventum. Seniores vero ad hoc respondentes dixerunt, hoc, quod eidem beato viro a domino sanctisque eius de nostro consortio fuerat indicatum, se promptissimos esse ad persolvendum et confirmandum. Quid plura? A domino abbate et universo conventu definitum [fol. 18^a] est, ut inter nostros professos scriberetur † et in omnibus, sicut unus ex nobis †† haberetur. Quod et tunc factum est et usque in finem saeculi ab huius loci incolis domino annuente fieri debet.

46. ††† Wigmannus de Oettenwiler*†, qui in hoc loco se ipsum monasticae religioni subdidit, ordine

* scil. cantus, psalmos.

** Nach dieser Stelle zog man den Sterbenden das wollene Untergewand, cilicium, an.

*** Aus dem Umfange, daß hier nur dom. abbas und nicht wie oben reverendiss. dom. abbas steht, darf man schließen, daß diese Stelle nach dem Tode des Abtes Lito, † 1108, geschrieben ist. S. auch Kap. 43 dom. Gisib. abbas.

† Nämlich in libro vitae, d. i. im Necrolog.

†† Der Verfasser dieser Stelle war also professus.

††† Wigmannus de Oettenwiler, Randglosse Herrgotts.

*† Detweil, so heißen drei Dörfer in den Kantonen Zürich und St. Gallen.

diaconus fuit. Hic igitur studens castitati domuit corpus freno ieiunii. Praeceptum etiam sanctae regulae in custodia oculorum et inclinatione capitis studiose observavit. In huiusmodi ergo virtutibus ad extrema perveniens, eodem die, quo et vita decessit, dominus abbas ad eum in mane devenit. Tunc ipse in infirmitate iacens ad eundem dominum abbatem ita locutus est: „per totam noctem istam, duo seniores albis¹ induti vestibus hic mecum fuerunt.“ Interrogatus autem a domino abbate, qui illi seniores fuissent? respondit, dicens: „unus fuit Stephanus papa et martyr, alter vero Fabianus, qui de monacho factus est episcopus.“ His et aliis huiusmodi sermonibus colloquens cum domino abbate, ventum est ad horam primae, quam dominus abbas ibi ante eum cantavit, et ipse infirmus tantae intentionis et valetudinis ad illam fuit, quod domino abbate unum versum dicente, ipse alterum cantando respondit. Deinde circa horam tertiam ad dominum abbatem huiusmodi habuit loquelam: „senior unus stat hic, qui mihi praecipit, ut me revestiam.“ Tunc interrogatus a domino abbate, ad quod officium illum revestiri praeciperet? „ad evangelium“, inquit. Post haec vero, iam sexta hora appropinquante, cum melodia psallendo coepit dicere: „benedicamus domino.“ Deinde post aliquod horae spatium simili modo iterum dixit: „deo gratias“. His verbis ad laudem domini prolatis statim adfuit finis. Maiori igitur missa celebrata secundum morem regularis ordinis, tabula est sonata*. Tunc conventu super eum veniente inter letanias et orationes quarto nonas Augusti [2. Aug.] de hac vita migrantem aeterna suscepit requies.

47. ** Bernhardus de Warmbach*** iacens in extremis talibus filium suum allocutus est verbis: „quandiu me hic retines, infirmitatis meae prolongantur labores. Mori enim non valeo, nisi in sancti Blasii monasterio.“ Quid plura? per filium huc allatus, statim ut de equis, qui eum portabant, depositus est, professus obedientiam, dominique corpore suscepto, in eadem die eodemque momento, quod tunc fuit octavo calendae Novembris [25. October] †, de huius vitae liberatus est angustis.

¹ albi, S.

* tabula est sonata ist daffelbe, was tabula percussa est bedeutet, nämlich das Anschlag der hölzernen Tafel.

** Bernhardus de Warmbach, Marginalnote von Herrgott.

*** Am Rheine bei Rheinfelden.

† Unter diesem Tage steht im alten Necrolog wirklich: Bernhardus c. (conversus). S. Bd. 3. S. 617.